

puplicus eiusdem terre notarius et testis subscripti *etc.* fatemur quod predicto die constitutus in nostri presentia Nobilis vir Iacobus de Candida Marastalle Regie scutifer ac Regius familiaris et fidelis ostendit nobis et puplice legi fecit quasdam patentes Regias licteras subscripte concessionis sue sibi magno noto et consueto sigillo pendenti ipsius sacre Regie maiestatis in cera rubea communitas quas nos ipsi vidimus et legimus ac inspeximus diligenter et erant per omnia continentie talis. Robertus dei gratia Rex Ierusalem *etc.* Iacobo de Candida marastalle nostre scutifero familiari et fidei nostro gratiam suam et bonam voluntatem. Proviso per nos noviter quod creditoribus mercatorum de societate Scalorum de Florentia in Regno nostro degentium fidelibus nostris, de pecunia debita per eosdem mercatores creditoribus ipsis, nec non prefatis mercatoribus de pecunia debita eis per mercatores quoscumque fideles nostros integre satisfiat duximus ordinandum quod rationes mercatorum ipsorum videantur et examinentur, et rationibus ipsis examinatis et visis, colligatur in summa tam prefata pecunia debita predictis creditoribus per mercatores eosdem quam etiam dicta pecunia, memoratis rationibus de societate scalorum debita per debitores predictos. Et deinde memorata pecunia dictis mercatoribus debita sine defectu aliquo exigatur, solvenda et quitenda postmodum cum eorum conscientia et notitia in satisfactionem seu extenuationem dicte pecunie debite per mercatores eosdem ipsis creditoribus equaliter et pro rata sicut continget unumquemque creditorum ipsorum. Quare volumus et fidelitate tue expresse precipimus quot statim receptis presentibus ad terram Baroli te personaliter conferes videas et examines diligenter rationes dictorum mercatorum de societate scalorum in dicta terra morantium, quas de Nero Balducci de florentia factore eorum inibi seu alio rationes ipsas habente requiras et tam de pecunia debita ipsis mercatoribus per quoslibet debitores eorum, quam de pecunia debita per eos creditoribus quibuscumque pro quibusvis causis, seu negotiis, nec non et de quacumque alia pecunia ac rebus et bonis omnibus dictorum mercatorum sistentibus penes eos vel personas quascumque fieri facias quaternum unum premissa omnia particulariter continentem pro te sub sigillis Capitanei dicte terre Baroli et tuo dictique factoris ac unius probi viri et fidelis adhibendi tibi ad hoc per eundem Capitaneum in collegam ad nostram Curiam deferendum, deinde dictam pecuniam ipsis mercatoribus debitam exigere et dicta bona et res vendere sub astacione meliori quo poteris pretio una cum dicto Collega et cum conscientia et notitia dictorum Capitanei et factoris mercatorum ipsorum cum omni sollecitudine studeas et procures, et tam predicta pecunia exigenda a debitoribus supradictis, quam recipienda ex venditione bonorum et rerum ipsorum, tu et idem Collega tuus Neapolim deferatis, assignandum illi vel illis cui vel quibus pro parte mercatorum et creditorum ipsorum mandavimus exhibere, convertenda deinde cum alia pecunia exigenda in aliis partibus Regni nostri pro parte mercatorum ipsorum in totalem satisfactionem seu executionem dicte pecunie debite ipsis creditoribus per mercatores prefatos equaliter et pro rata sicut unumquemque creditorum contiget ipsorum Compulsurus nihilominus dictorum mercatorum debitores ad restituendam eis prefatam pecuniam, per arrestationem et venditionem bonorum eorum omnium, et si expedierit per captionem personarum eorum ac omnem alium modum quem ad id videtis expedire. Et Ecce prefato Capitaneo domus per alias nostras licteras in mandatis, ut tibi circa promissa assistere debeat eius consiliis auxiliis et favoribus,